Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



In illo t: Stabat iohnnes ⁊ ex discipuli eius duo. Et respiciens iesum ambulantem dicit: Ecce agnus dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem: ⁊ secuti sunt iesum. Conuersus autem iesus et videns eos sequentes se dicit eis: Quid queritis? Qui dixerunt ei: Rabbi: quod dicitur interpretatum magister: ubi habitas? Dicit eis: Venite ⁊ videte. Venerunt ⁊ viderunt ubi maneret: ⁊ apud illum manserunt die illo. Hora autem erat quasi decima. Erat autem andreas frater symonis petri unus ex duobus qui audierant a iohanne ⁊ secuti fuerant eum. Invenit hic primum fratrem suum symonem: ⁊ dicit ei: Invenimus messiam: quod est interpretatum xpm. Et adduxit eum ad iesum. Intuitus autem eum iesus dixit: Tu es symon filius iona: tu vocabis cephas: quod interpretatur petrus. In crastinum voluit exire in galileam ⁊ invenit philippum. Et dicit ei iesus: Sequere me. Erat autem philippus a bethsayda ciuitate andree ⁊ petri. ⁊ invenit philippus nathanael et dicit ei: Quem scripsit moyses in lege ⁊ prophete: invenimus iesum filium ioseph a nazareth. Et dixit ei nathanael: Ana zareth potest aliquid boni esse? Dicit ei philippus: Veni ⁊ vide. Vidit iesus nathanael venientem ad se: et dicit de eo: Ecce vere israhelita in quo dolus non est. Dicit ei nathanael: Unde me nosti? Respondit iesus ⁊ dixit ei: Priusquam te philippus vocaret cum esses sub ficu vidi te. Respondit ei nathanael ⁊ ait: Rabbi tu es filius dei: tu es rex israel. Respondit iesus ⁊ dixit ei: Quia dixi tibi: vidi te sub ficu credis: maius his videbis. Et dicit ei: Amen amen dico vobis